

FERIA TERTIA PASCHÆ.

EVANGELIUM. LUCÆ XXIV.

In illo tempore, stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis : Pax vobis, ego sum ; nolite timere. Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum : quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, et prophetis et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem in omnes gentes.

CONCIONES.

- I. Reliquiarum ss. cultus comprobatur.
- II. Quanto fructu audiatur s. missa.
- III. Explicantur ritus sacrificii missæ.
- IV. Nova Christi et Christianorum conversatio post resurrectionem.
- V. Schola memoriæ, seu quorum maxime debeant meminisse Christiani.
- VI. Ad pacem et concordiam quæ invitent.
- VII. Figuræ vitæ et mortis Christi explicantur.

- VIII. Documenta.
 - IX. Mystera.
- CONCIONES AUCTARI.
- I. Favus paschalis vita beatorum post resurrectionem.
 - II. Tria symbola boni Christiani.
 - III. Figura resurrectionis Dominicæ.
 - IV. Ovum album pax varia a resurgente Christo allata.
 - V. Variæ pax optatur in rebus variis.

CONCIO I.

SS. RELIQUIARUM CULTUS COMPROBATUR.

- I. Ex Scriptura. — II. Ex usu Ecclesiæ et traditione. — III. Ex ratione. — IV. Ex Dei providentia. — V. Ex miraculis.

THEMA.

Sumens reliquias, dedit eis. Lucæ XXIV.

Mysterium esse debet, quod tam sedulo collecta sunt fragmenta seu reliquiæ panum et piscium, in utroque illo convivio, quod exhibuit Christus, Joan. VI. et Marci VIII. Et quidem in hodierno evangelio cum oblata esset pars assi piscis, et favus mellis, inde comedit et sumens

reliquias, dedit eis. Mysterium igitur hoc esse debet. Quodnam vero illud? Fragmenta seu reliquiæ ciborum, sanctorum denotant reliquias. Cibus Christi sunt viri sancti, quorum majorem partem ipse comedit, cum animas eorum sibi in cælo unit : reliquias vero seu viliores partes, id est, corpora eorumdem in terris relicta servis viventibus donat. Has igitur sedulo vult a nobis asservari Dominus, ne pereant, quia partes illorum ciborum sunt, de quibus ipse partem et quidem præcipuam comedit. At reclamant magnis vocibus hæretici : volunt enim has reliquias projici in cloacas et cum eas obtinere possunt, abjiciunt facto ipso; scandalizantur etiam in nobis, dum eas nos veneramus : sed quid ad

nos? *Sinite illos : cæci sunt et duces cæcorum*, ut de Phariseis in simili casu dixit Dominus. Nec his ostendendus cultus et venerationem reliquiarum non solum licitum sed et debitum esse.

I. Ostenditur primo, ex Scriptura. Nam imprimis IV. Reg. XIII. legimus hominem mortuum, cum projectus esset in sepulcrum Elisæi prophete et tetigisset ossa ejus, revivisse et stesisse super pedes suos. Deinde novimus ex evangelio fimbriam Christi ab hæmorrhœissa tactam, proficuum ei fuisse contra fluxum sanguinis, Math. IX. Aliis item quam plurimis infirmis Marci VI. Ad hæc legimus in actis apostolorum, cap. V. Petri umbram salutis fuisse ægris. Et Act. XIX. Pauli sudaria et semicinctia. Quod si res æternæ sanctis adhærentes istud potuerunt et propterea magna contentione a Christianis quæsitæ fuerunt, cur non potius eorum ossa et reliquias? Unde S. Chrysost. serm. XXXV. de virtut. et vitis ait : *Sicut virtus erat in veste Pauli et umbra Petri ad sanandum egrotos : ita in sanctorum cineribus ad expellendos demones, etc.* Rursum Moyses ex Ægypto discessurus honorifice secum asportavit ossa Josephi, Exod. XIII. Moyses vero corpus Deus ipse sepelivit, Exodi ult. uti adversus Vigilantium argumentatur S. Hieronymus. Sic curaverunt Stephanum (post martyrium) viri timorati. Qua de re Pius papa sanctissimus et antiquissimus martyr scribit ad Justum episcopum Viennensem : *Cura autem sanctorum martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt apostoli Stephanum.*

II. Secundo, ex usu perpetuo et traditione Ecclesiæ, patrumque consensu. Nullum imprimis tempus assignari potest, quo primum cœperit hic cultus et antea non fuerit in Ecclesia : semper enim fuisse legitur. S. Onesimi, discipuli S. Pauli martyris reliquias legimus Roma Ephesum translatas, Martyrol. Rom. 16. febr. S. Polycarpi discipuli Joannis, item martyris, reliquias pio studio collectas a Christianis, Baron. anno 169. Aliorum plurimorum martyrum sanguinem a S. Pudentiana et Praxede in domo patris sui (qui ss. apostolorum Petri et Pauli hospes erat) in puteum qui adhuc Romæ videtur expressum et collectum fuisse : sedem S. Jacobi, primi Jerusalemorum antistitis diu honorifice asservatam, uti et alia sanctorum utensilia, apud Niceph. lib. VI. c. XVI. sedem S. Petri servatam Romæ usque hodie. Testatur S. Hieronymus in vita S. Pauli primi eremite, quanti fecerit D. Antonius tunicam ejus e palmarum foliis ab eo confectam, scribens eum diebus solemnibus tantum paschæ et pentecostes ea amiciri solitum fuisse. Eadem S. Hieron. cunctis Cresi antepo-

nit opibus. Theodosius junior imperator gloriosum sibi duxit, indui sago admodum sordido episcopi Chebronensis, *credens se aliquid ex defuncti sanctitate promereri*, ait histor. Trip. lib. XI. c. XVII. Cum anno 594. Constantia Augusta in suo palatio ecclesiam in memoriam S. Pauli ædificasset et ad eam cohonestandam a Gregorio papa caput S. Pauli vel partem corporis ejus petiisset, respondit pontifex sibi multis de causis id minime licere, quia corpora apostolorum et Pauli tantis in Ecclesia coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad adorandum sine magno illic timore possit accedere. Addit se quid aliquando circa sepulcrum S. Pauli meliorare voluisse, et cum præpositus loci illius ossa aliqua circa id reperisset, et alio transferre præsumpsisset, subita morte defunctum esse. Idem contigisse successori suo circa sepulcrum S. Laurentii : cum enim sepulcrum martyris ignoranter apertum esset, ii, qui præsentibus erant atque laborabant monachi et mansionarii, quia corpus martyris viderunt, omnes intra decem dies defuncti sunt. Ad hæc Romanis consuetudinem non esse, quando reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mitti et ad corpora sanctorum poni, hujusmodi brandeum aliquando a S. Leone papa, cum de talibus reliquiis dubitarent Græci, forcice incisum sanguinem stillasse. Subdit denique se imperatrici limaturam de catenis, quas ipse Paulus in collo et manibus gestavit missurum, si tamen inde aliquid per limam tollere quiverit; fieri enim frequenter ut aliquibus petentibus facile inde aliquid referretur, aliis contra nihil inde obtineri posse, Baronius anno 594. Quanta in veneratione habuerit illas catenas Pauli S. Chrysost. ipse variis locis testatur, hom. VIII. in c. IV. ad Eph. ait : *Cuperem videre catenas illas; quas quidem verentur et hærent demones, venerantur vero angeli.* Accedunt alia patrum testimonia plurima omnibus sæculis. Reliquias martyrum sub altaribus condi solitas scribit S. Ambros. in exhort. ad virg. Hieronym. contra Vigilant. Conc. Carthag. XIV. Christianos coram iis adgeniculari solitos ait Tertul. l. de poen. Easdem coli solitas testatur Athanasius, in vita Antonii, Basilius in Psalm. CXV. et orat. in XL. mart. et alii plurimi.

III. Tertio, ostenditur ex ratione. Primo, quia sanctorum opera erant organa Spiritus sancti viva et voluntaria, in quibus et per quæ mirabiliter operatus est; erant ejusdem habitaculum, serviebant spiritui ipsique Deo, etsuam quodammodo exuta naturam, inducunt angelicam et cælestem. De corpore suo testatur Paulus se

stigmata et mortificationem Jesu in eo circumferre. Eadem in suo divinitus expressa habuit S. Franciscus. Alii sancti miras in eo et per id virtutes exerceverunt, castitatis, temperantiæ, patientiæ, etc.

Secundo, quia habent relationem ad comparatas suas, animas jam glorificatas et in cælo positas, et hæc obtutum in illa figunt, tamquam in resumenda suo tempore, et tamquam in socios participes factos in tribulationibus et meritis, futuros etiam in gloria et regno. Si aulici Anglicani venerantur et circumstantur venerabundi vacuum regis sedem (in qua sedit et sessurus est) non minus ac si rex in ea de facto sederet; ita corpora et reliquiæ sanctorum representant hic in terris ipsos sanctos et illorum instar excubant, ac quodammodo pervigilant pro nobis. Legimus Gen. XII. in Ægypto Abrahamo, cum sublata esset ejus uxor in domum Pharaonis ob formæ pulchritudinem, benefecisse propter illam. Quando ergo nos intelligimus alicujus sancti animam sublata esse a Deo in domum ejus cœlestem propter ejus sanctitatem; cur non et nos servi Dei honorem exhibeamus conjugii illius animæ, corpori?

Tertio, quia non tantum sociæ eorum animæ in cælo fulgent, sed et ipsæ in die judicii glorificanda sunt cœloque inserenda. Decet ergo, ut etiam hic honorifice habeantur. Sic regni alicujus designatus hæres, licet nondum sit possessor, regio cultu honoratur. Sic vestes aliquando resumendæ et induendæ in nuptiis, mundo loco asservantur.

Denique, quia tali honore, quem sanctis pro merito eorum impendimus, nos ipsos admoneamus ad insistendum vestigiis eorum et imitanda heroica facta. Dum enim hunc eorum honorem intuemur, cogitare incipimus: Ecce isti homines fuerunt humanis miseris subjecti æque ac nos et tamen Deo adjuvante ad tantam sanctitatem et gloriam pervenerunt. *Tu non poteris, quod isti et istæ?* An vero isti in hoc potuerunt et non potius in Domino Deo suo?

IV. Quarto, ostenditur ex mira Dei providentia circa reliquias, quam prædixit Spiritus sanctus per os Davidis, Ps. XXXI. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Et ipse Christus: *Capillus de capite vestro non peribit,* Luc. XXI. In veteri testamento reperimus leonem, Dei quidem jussu, virum sanctum jugulasse, sed non comedisse de cadavere, nec asellum quidem ejus læsisse, III. Regum XII. Multos sanctorum legimus post mortem vivis apparuisse et monuisse, ut honorifice alibi sepelirentur; ut Michæam et Habacuc prophetas Sebenno

Eletheropoleos episcopo; Zachariam prophetam Calomero cuidam apud Sozom. lib. VII. cap. ult. etc. S. Joannes Baptista duobus monachis in somno apparuit, ostendens quo loco caput suum altissime perfossum a ministris Herodis fuisset et maneret. S. Barnab. apostolus Anthemio Salaminæ episcopo, suum ostendit corpus. Gamaliel Luciano presbytero apparens, ubi ipsius et S. Stephani ac Nicodemi corpora essent, ostendit, monens ut producta decentiori loco sepelirentur. Corpus S. Luciani cum fuisset in mare projectum, delphines id exceperunt et ad littus advexerunt, Christiani postea sepelirent, apud Metaphr. Corpus S. Vincentii feris objectum corvus defendit; idem in mare projectum cum ingenti saxo ad collum appenso ad littus enatavit, ubi a pia femina in somnis monita conquisitum et sepultum est, Greg. Tur. de glor. martyr. cap. LXXXIX. et XC. S. Stanislai martyris corpus defensum ab aquila idemque post concisionem mirabiliter redintegratum. S. Anastasii martyris a canibus servatum, quibus devorandum datum erat: S. Edmundi corpus a lupo: S. Floriani corpus projectum ab aquila: Victoris Mauri corpus feræ duæ, una ad caput sedens altera ad pedes sunt tutatæ. Corporum ss. quadraginta martyrum combustorum cineres in flumen projecti in unum ad ripam confluerunt, et stellarum instar fulgentes se prodiderunt. S. Clementis corpus cum in mare demersum esset, mare ad tria millia recedens, templum marmoreum detexit, in quo corpus ejus conditum erat; idem mare postea quotannis in martyris festivitate recessit et iter adeuntibus præbuit. Corpus S. Xaverii in calce sepultum, integrum et incolume permansit multis mensibus et adhuc nulla labe corruptum aut fetore infectum Goam usque perlatum est. Et quis tandem recenseat modos et miracula quibus Deus sanctorum reliquias servavit et cohonestavit? Aliæ perpetuo incorruptæ permanent; aliæ oleum stillant; aliæ splendorem emisere; aliorum corpora dissecta redintegrata fuere; alia viventium functiones præstabant; alia suavissimum odorem exhalabant. Quin et circa ea quæ martyres quoquo modo contingebant, mira Dei providentia apparet. Catena Petri qua Jerosolymis vinctus erat, dum compararetur cum illa, quæ Romæ illum vinxerant, in manibus pontificis mirabiliter connexa est, et una ex duobus facta, at S. Petri ad vincula festum ostendit. S. Joannis Chrysostomi corpus cum imperator Theodosius ab Euxino Ponto Constantinopolim reduci imperasset, misissetque in eum finem aliquot e senatu lectissimos, minime potuerunt legati loco mo-

vere tumbam. Tum imperator per epistolam veniam a sancto, velut per injuriam a sua sede pulso, petens, misit iterum legatos: ergo, epistola pectori pontificis imposita, mox urna levantium manibus cessit, Rader. in aula s. c. XIII. Jam si Deus ipse tam miro studio conservavit et honoravit sanctorum suorum corpora, nos ea non honorabimus?

V. Quinto, ostenditur ex miraculis et virtute eorumdem. Inter innumera primo, pellunt dæmones, teste non solum experientia, sed et Chrysost. hom. LXVI. ad pop. cum ait: *Sanctorum ossa dæmones sistunt et torquent, et vinctos ab illis solvunt sævissimis vinculis.* Rursum, tempestates sedarunt, morbos depulerunt, mortuos suscitaverunt, pestem depulerunt, naufragium averterunt. Scribit S. August. l. XXII. de civit. Dei, c. VIII. non pauca ejusmodi miracula sibi contestata, veluti mulierem cæcam, cum flores tantum ad reliquias S. Stephani obtulisset, et receptas oculis admovisset, repente visum recepisse. Plura alia refert S. Greg. Tur. Inter alia lib. I. de glor. mart. cap. VI. refert Justinum magicis præstigiis ac larvis mire infestatum supposuisse capiti frænum Constantini, in quo clavi Dominici unius virtus intexta erat, et tertia vexationis nocte quietem recepisse. Sanctus Chrysostomus, l. contra gentiles, refert de S. Babyla, ejus reliquias dæmoni oracula reddere solito os obturasse, templum Apollinis evertisse, et alia mira edidisse. Referunt annales Francorum apud Baron. anno Domini 805. de venatione Caroli Magni, ursum miræ magnitudinis, a venatoribus agitatam, in S. Salvatoris ecclesiam, et quasi ratione præditus fuisset, ad reliquias S. Gudulæ virginis supplicem procubuisse, quasi ad asylum confugisset a strepitu insequentium; ac deinde feritatis oblitum venientium monialium vestigia lambisse, ac more catulorum illis ablanditum esse, quasi hoc gestu indicaret se patrocino famulæ Dei defensum esse: ac deinceps apud easdem moniales non aliter vixisse, quam ab illis jussus esset. Sed quid opus, talia referre, cum pleni sint horum testimoniorum libri, quotidiana etiam experientia apud sanctorum tumulos variis in locis per universum orbem? Quot ibi tabulæ, quot picture, quot armariola, quot monumenta receptorum sanitarum et aliorum beneficiorum meritis et interventu sanctorum ad reliquias eorum? Merito eas S. Damascenus vocavit fontes salutarum, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit, lib. IV. de orthodox. fid. cap. 1. Et quid contra hæc objici potest? Si Deus ita voluit honorare sanctos, ut ad præsentiam corporum eorum tot miracula fiant; annon

II. PARS HIEMALIS.

hoc ipso vult, ut eosdem veneremur et nos?

VI. Sexto, ostenditur ex punitione eorum qui s. reliquias contempserunt, vel ignominia affecterunt: inter quam plurimas litteris dignissimis consignatas celebris est illa Clodovæi, regis Francorum, punitio, qui cum argenteam S. Dionysii tumbam tollere, et pauperibus ob ingentem penuriam erogare vellet, sancti illius ossa minus reverenter contrectans, brachium avulsit. Unde mox mente captus est, et tanta aeris obscuritas in templo secuta, ut qui illic præsentæ erant, omnes consternati fugerent. Ac licet rex brachium gemmis et auro condecoratum restitui jussisset, nunquam tamen ab insania prorsus liberatus est, Belleforet. in Clodovæo a Laziar. lib. III. hist. cap. VI. Philippus itidem rex Galliæ, cum moto in Petrum, Aragonum regem, bello Gerundam cepisset, ejus milites, vi templis illata, sancti quoque Narcissi, patroni illius urbis, sepulcrum diripuerunt; sed inde egressa, inaudita forma et magnitudine, muscarum examina, magno impetu in multitudinem involantes, acutis et venenatis morsibus eam vulnerantes, ut intra paucos dies hominum plus quadraginta et equorum plus viginti quatuor millia interierint. Quin ipse Petrus Aragonum rex scribit in epist. ad Sanctium, Castellæ regem, ad quadraginta millia equorum periisse. Ex quo tristi eventu ortum est proverbium, *Musca S. Narcissi*, ut notat Baronius, in martyrol. 18. martii, Surita, lib. IV. cap. LXIX. Rursum cum Calvinistæ in Gallia Turonis ossa S. Martini in ignem conjecissent, ad interuionem cuncti a catholicis miserrime bis fuere concisi, ut scribit Thom. Boz. lib. XXIII. de sign. eccl. c. III. Quod iidem nuper in Bohemia sunt experti, nam in octava omnium ss. memorabili prælio cæsi, et in turpem fugam acti, penitusque devicti sunt, absque dubio in pœnam patrati facinoris, quo in templo regio paulo ante sanctorum reliquias impie tractarunt, subsannarunt, combusserunt, etc.

CONCIO II.

QUANTO FRUCTU AUDIANTUR SS. MISSÆ.

I. Audientes participant de valore missæ. — II. Accipiunt gratiæ augmentum. — III. Obtinent remissionem venialium. — IV. Præservantur a periculis. — V. Prosperantur in tempo libus. — VI. Impetrant efficacius, quæ petunt. — VII. Muniuntur contra dæmonum infestationem.

THEMA.

Mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? Luc. XXIV.

Non possumus jam nos, auditores, in terra adhuc constituti, videre Domium nostrum in

ea visibili et gloriosa specie, qua apparuit discipulis; possumus tamen eundem intueri in illa, peregrino vestitum habitu in s. eucharistia, quam commonstrant nobis sacerdotes, dum sacratam hostiam ac calicem elevant in missa, eo nimirum fine, ut Christus ibi verissime præsens omnibus sit conspicuus. Atque hoc sufficere nobis pro hac vita debet, ad parandum cordis gaudium, qui per fidem ambulamus illuc, ubi videamus Deum per speciem, clare scilicet et coram. Certe majores nostri, cum audita missa, reverterentur domum, dicebant se vidisse Dominum, indeque sibi gratulabantur, et sperabant rerum suarum prosperos successus; ac si infaustum quid contigisset post neglectam missam, culpabant mox seipsos, quod eo die in missa non vidissent Dominum. Quod etiamnum faciunt multi, pietati impensius addicti. Quare nunc videbimus, quanti sint auditæ missæ fructus.

I. Qui devote audiunt missæ sacrificium, primo participant de ipsius valore et efficacia, et quidem duplici ratione. Imprimis active, dum una cum sacerdote missam Deo offerunt, velut comites legati ad regem missi. Esse enim missa quasi legatio totius christianitatis, vel certe aliqujus communitatis seu Ecclesiæ particularis, ad Deum facta, ubi sacerdos est legatus, populus ejus comites; ideoque celebrans ad oblationem calicis in sua et populi persona orat: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, etc.* Ad hæc minister missæ totum populum representat, et ipsius nomine inservit ac respondit sacerdoti. Qui ergo cum celebrante conjungit mentem suam, dicendo, verbi gratia: Domine Deus, offerimus tibi per hunc oratorem nostrum Filium tuum, qui utique multo plus tibi placet, quam displicent peccata mea; haud dubie et ipse missam offerre censebitur; sicut cum unius manu supplicatio multorum scribitur et offertur, omnium supplicantium sigillis communita.

Deinde etiam passive, quia non solum ab ipsis, ut diximus, sed offertur etiam pro ipsis. Tametsi vero ex hoc capite prodest etiam absentibus Christianis, in gratia constitutis, magis tamen præsentibus, quorum fit specialis commemoratio illis verbis: *Et omnium circumstantium.* Et quia sunt propinquiores capiti suo Christo, ideo magis de eo participant: sicut, cum multi offerunt munus regi, præsentes magis respiciuntur quam absentes. Doctissimus etiam unaque religiosissimus societatis Jesu theologus Suarez, tom. III. in p. disp. LXIX. sect. IX. censet assistentes missæ ex opere operato consequi proprium illius fructum, etiamsi

sacerdos intentione sua nulla eis talem fructum applicet; præsertim vero eos, qui missas dici faciunt, vel ad eas dicendas sacra vasa, etc. subministrant.

II. Secundo, consequuntur gratiæ et virtutum augmentum præcipue vero fidei, charitatis et religionis, quæ sunt magni meriti. Ratio ex suprad. colligitur, quia partim ab ipsis, partim pro ipsis missa offertur, ac proinde impetrat eis speciales gratias. Si enim Booz ille, videns Ruth tam sedulo sectari vestigia messorum suorum, et colligere in agro spicas, præcepit servis suis, ut de industria projicerent manipulos, quos illa colligeret, necnon ut messorum mensæ discumberet: (Ruth. II.) non dubium quin Deo quoque valde placeat, si nos videat sectari graviter vestigia sacerdotum, et de s. missæ agro, vel ut vocat Sponsa, Cant. VI. *de areola aromatum* passionis Christi, legere quasi spicas, non dubium, quin talibus, qui missæ participationem quærunt, adjiciat præ aliis gratiarum aliquot manipulos. Si enim, Chananea teste et *catelli edunt de micis quæ cadunt de mensis dominorum*, cur non et homines mensæ Dei in sacrificio crebro assistentes, et micæ exposcentes? Atque hinc tam sancti evaserunt, qui a pueritia se assuefecerunt ad missam quotidie audiendam, uti S. Eduardus Angliæ, S. Ludovicus Galliæ, S. Wenceslaus Bohemiæ reges, S. Elzearius comes Ariani, Thomas Morus et alii. Toties enim accepto gratiæ et virtutum augmento ad perfectionis apicem veramque sanctitatem tandem pervenerunt. Quantum laborum, curarum, periculorum, fastidiorum suscipiunt aulici, quo augmentum aliquod stipendii, præfecturam vel promotionem aliam, a principe obtineant? Quam sedulo ad aulam comparent, et assistunt principi? Quam se illi insinuant? Quam ad gratiam ejus loquuntur? At quanto faciliore labore possumus nos acquirere gratiæ, quæ æternæ gloriæ pignus est, auctarium, adeoque ingentem in cælo promotionem, si modo Regi nostro in missa crebro et devote assistere vellemus? Parumne hoc esset, si tibi habenti jus ad comitatum adderetur gratia, ut haberes jus ad principatum? Plus est, quod obtineamus, cum gratiæ augmentum capimus.

III. Tertio, remissionem venialium peccatorum obtinent: necnon poenarum temporalium, pro eujusque devotione. Quin et Concilium Tridentinum, sess. II. ait hujus oblatione Dominum gratiam et donum poenitentiae concedere, peccata etiam ingentia dimittere, dispositive intellige, excitando ad contritionem. Quod hinc confirmari potest. Primo, si Judæi e monte Calva-

riæ revertantur percutientes pectora sua: quid mirum, si in sacrificio missæ gratia conversionis quibusdam impertiatur? Idem enim Christus et in isto immolatur, tametsi incruento modo. Deinde hoc sacrificium magis representat Christum crucifixum, quam serpens ille æneus, in pertica exaltatus; siquidem hic Christus revera immolatur, non in figura, ut ibi. Atqui illius serpentis aspectus ignitorum serpentum morsus sanabat; eecur ergo non devota passionis Dominicæ, in missa representatæ, meditatio et veneratio sanare possit morsus peccatorum? Denique, si umbra Petri vim habuit sanandi ægros, qui cum affectu et fide eam tetigissent, quid mirum, si et missæ, quæ adumbratio et quædam replicatio passionis Dominicæ est, tribuamus vim sanandi morbos animi? Quamquam eo affectu, fide et fiducia adesse oportet missæ, si hunc effectum consequi volumus, qua Hebræi et serpentem aspexerunt, et umbram Petri subierunt. Scripsere patres societatis in litteris annuis ex Franciæ provincia, in Biturica infantulum hærentem matris uberibus clara voce exclamasse: *Missam, missam;* (quam hæretici ibidem exterminarant, et eane pejus oderant) ea re permota mater puerum ad Catholicorum templum et missam detulit, dumque ibidem concioni interest, repente immutata, ejurata hæresi ad fidem rediit. Jam vero poenarum etiam temporalium magnam partem pro eujusque devotione remitti frequentantibus hoc sacrificium, quis dubitet? Si enim Ninus Assyriorum rex quibuscumque reis ad statuam patris sui Beli confugientibus veniam dedit et poenas remisit; itemque postea gentiles alii confugientibus ad statuas deorum et asyla, quomodo non cælestis Patër remittat poenarum debita iis, qui ad Filii ejus altare rei currunt? Jam vero quis non malit per horam adstare altari, et audire missam, quam uri in purgatorio? Mirum est, quod in aliis negotiis tam delicati sumus, in solo negotio animæ tam in nos crudeles. Cum enim sciamus peccata expianda temporalibus poenis, et ut plurimum purgatoris: cur eas non redimimus tam facili pretio?

IV. Quarto, præservantur sæpe a periculis. Non enim patitur se vinci ab homine Deus: si ergo primo mane, vel singulis diebus, cum potes, contendis ut sis cum Deo, eum videas, ei assistas, ne dubita, contendet etiam Deus ut ipse tecum sit, tibi assistat, teque comitetur in omnibus viis. Unde toties in missa dicitur: *Dominus vobiscum*, scilicet per auxilium et protectionem. Videtur hujus rei figura fuisse lucta illa Jacobi cum Deo, id est, angelo Dei, Gen. XXXII. Dum

enim retinet angelum sancta quadam audacia nec dimittere vult, ab eodem benedicitur et confortatur, ut secure et intrepide pergere audeat ad fratrem Esau, alioqui sibi infensum. Unde ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*, id est liberatus sum a metu fratris, ut exponunt S. Chrysostomus et Lipom. Idque ei contigit; humanissime enim a fratre acceptus est, quem hostem metuebat. Modo sacrificium talis quædam lucta est, in qua detinemus in terra Dei Filium, quamdiu in altari tractatur; donec ab eo benedici mereamur. Igitur non dubium, quin suam benedictionem impertiat nobis Deus, adsitque in periculis sua protectione. Atque hinc viri pii negotia et itinera difficilia auspicari solent cum sacra missa. Innumera sunt exempla. Primo, Hieronymus Mengus refert apud Pinellum, lib. II. duos socios simul ad venationem profectos, quorum unus tantum eo die missam audierat; cumque essent in aperto campo, subito exorta tempestate, vox per aerem supra illos exsonuit: *Occide, occide.* Et ille quidem, qui missam non audierat, fulmine tactus repente concidit. Quo spectaculo territus alter hue illuc discursans, iterum vocem audit: *Occide, occide istum.* Cumque miser iste nil præter fulmen expectaret, aliam audivit vocem dicentem: *Non possum, quia hodie audivit: Verum caro factum est.* Sicque evasit. Ibidem refertur de capitaneo ducis Galearii, quem continuo persequentes inimici, lædere non potuerunt, quo die missam audierat; una tandem die, qua id prætermisit, occiderunt. Idem ex chronicis S. Francisci, lib. VIII. c. XXVIII. de juvene innocente erepto e fornacis periculo, beneficio missæ. S. Eduardus risit sub missa, dum vidit in spiritu submergi in mari regem Danorum contra se moventem et navim incendentem, ut in vita ejus. Joannes Dubravius, apud Sur. in vita S. Wenceslai, c. XV. scribit, aurigam quemdam imprime Drahomiræ Boleslai regis nutricis, persecutricis pessimæ, forte audientem pulsari in vicino templo ad elevationem, e curru descendisse ad videndum et orandum Domini corpus execrante eum Drahomira, et interrim a terra absorpta cum curru et sociis.

V. Quinto, præservantur in temporalibus, vel eorum loco cumulantur bonis spiritualibus ita ut suam paupertatem hilari ferant, anino, non commutaturi eum. divitiis. Non enim fefellit nos Dominus, cum dixit: *Quærite primum regnum Dei, justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.* Nec credendum est oblivisci Dominum eorum, qui in ipsius occupantur obsequio, ita ut eis non suppeditet saltem necessaria; quando nec pa-